Ostenditur, qui loci in superstite Nubium (Νεφελῶν) comoedia e priore earundem Nubium recensione, quae in attico theatro commissa erat, adhuc servati sint. Praemittuntur nonnulla et de tempore et de consilio utrarumque Nubium et de Socratis persona apud Aristophanem.

COMMENTATIO

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERAM UNIVERSITATE ROSTOCHIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

IMPETRANDOS

SCRIPSIT

GEORG SAUERWEIN

HAMELENSIS.

ROSTOCHII.

TYPIS EXPRESSIT CAROLUS BOLDT.

MDCCCLXXII.

Argumentum editionis Dübnerianae quintum haec refert: *Αἱ πρῶται Νεφέλαι ἐδιδάχθησαν ἐν ἄστει ἐπὶ ἄρχοντος Ἰσάρχου* (Olymp. 89, 1. cf. Diod. Sic. XII, 65; Athenaeus V. 218 d. = 423 a. Chr. n.), *ὅτε Κρατῖνος μὲν ἐνίκα Πυτίνῃ, Ἀμειψίας δὲ Κόννῳ διόπερ Ἀριστοφάνης ἀπορριφθεὶς παραλόγως ᾠήθη δεῖν ἀναδιδάξαι τὰς Νεφέλας τὰς δευτέρας καὶ ἀπομέμφεσθαι τὸ θέατρον. ἀποτυχὼν δὲ πολὺ μᾶλλον καὶ ἐν τοῖς ἔπειτα οὐκέτι τὴν διασκευὴν εἰσήγαγεν. αἱ δὲ δεύτεραι Νεφέλαι ἐπὶ Ἀμεινίου ἄρχοντος.* Anno 423 Nubes priores Dionysiis actas esse et confirmat scholiastes ad vers. 549: *ὁ Κλέων ἀποθνήσκει ἐπὶ Ἀμεινίου. πρὸ τούτου δέ ἐστιν Ἴσαρχος, ἐφ' οὗ αἱ πρῶται Νεφέλαι εἰσήχθησαν* (nam Cleo occisus est anno 422 in pugna ad Amphipolim commissa, cf. Thuc. V. 10), et apparet ex versu 311, ubi poeta Bromii diei festi mentionem facit. Dionysia enim ineunte vere agebantur et Bromius Dionysi cognomen est. (Schol. ... *τὴν παροῦσαν ἑορτὴν λέγει, τουτέστι τὰ Διονύσια.*) Poeta in parabasi ipse narrat, se victum fuisse, tamen arbitratus eam comoediam suarum longe optimam esse, constituisse se eam retractatam[1]) Atheniensium populo praebere multa cum spe, spectatores ac judices benevolentiore animo eam accepturos. Quod consilium cum exsequi decrevisset, id agere debebat, ut quae populo minus placuissent, mutaret adderetque res, quae per se ipsae novam oblectationem afferrent. Neque vero poetam fabulam intactam, sed plane retractatam praebere potuisse populo, dilucide demonstrasse mihi videtur F. V. Fritzschius, cum dicit (in quaestt. Arist. 112): „Nam quis tandem credat, Aristophanem Nubes I.,

---

[1]) Ad versum 523 Carolus Agthius haud inepte conjicit (in schedis Aristoph. Gott. 1863): *πρώτης ἠξίωσ' ἀναγεῦσ' ὑμᾶς, ἣ παρέσχε μοι ἔργον πλεῖστον.*

quae fabula explosa est, aut non mutatam, aut (ut vulgo putant) leviter hic illic emendatam spectatoribus iterum obtrusisse invitis? Omitto, quod re ipsa coactus erat poeta quinque annis post multa vel obsoleta, vel falsa jam atque inepta delere, et in eorum locum res longe alias sufficere. Num vero frequens populus spectatum isset contemptam fabulam et repudiatam? Num istam relatam probabilis histrio ullus non modo aliquis graecus L. Ambivius Turpio, egisset? Num choragus in istam tantos sumptus fecisset? Num denique istud fieri paterentur ipsi magistratus? Quae, malum, haec Comici pervicacia est? Dicere: iterum spectate, et jam laudate; judices priores, vosque, spectatores, pessime olim judicastis. Puto equidem, id ne legibus quidem Atheniensium licuisse, sic illudere auctoritati judicum publicorum.“ Athenienses enim tanta ingenii celeritate praediti erant, ut de virtute poetica comoediae judicare posse sibi viderentur; num sententiam semel de fabula latam mutarent? Qui quidem cum et obscoenissime dicta et facetius significata mente complecterentur, num comoediam sibi iterum obtrusam laudarent palmaque ornarent? Quae cum ita sint, Nubes priores poetam in maximis minimisque rebus omnibus ita penitus emendare voluisse, ut a fabula, qualem nos habemus, plane diversae essent, postea probare studebimus: nunc, utrum superstites Nubes commissae sint necne quaeritur. Quis illud scholiastae, Nubes II. insequenti anno Aminia archonte doctas esse verum esse existimet? Nemo, opinor. Nam ex verbis parabaseos (553) „*Εὔπολις μὲν τὸν Μαρικᾶν πρώτιστον παρείλκυσεν*“ apertissime elucet, parabasin non prius quam anno 420 aut 419 scriptam esse, cum Eupolidis comoedia, cui nomen est Maricas, *ὕστερον τρίτῳ ἔτει τῶν Νεφελῶν* (Olymp. 89, 4 = 420 a. Chr. n.) acta sit Lenaeis (cf. Fritzsche, de fab. retr. II., 4). Accedit quod poeta in prima parabaseos parte Cleonem mortuum, in extrema vivum impugnat, unde colligitur, comoediam, qualem nos habemus, anno 422 non iterum potuisse doceri, quoniam pugna, in qua Cleo cecidit, aestate ejusdem anni (cf. E. Curtius, hist. gr.

II., 419) commissa est, nisi forte tres Nubium recensiones exstitisse volumus, duas editiones alteram Isarcho, alteram Aminia archonte et unam postea *διασκευήν*. Errat igitur scholiastes, qui haec affert: „*εἰκότως οὖν ὡς ἔτι περιόντι τῷ Κλέωνι λοιδορεῖται ὁ Ἀριστοφάνης οὐ μόνον ἐν τοῖς προκειμένοις, ἀλλὰ καὶ ἐν τοῖς ἑξῆς* „*ἣν Κλέωνα τὸν λάρον δώρων ἑλόντες καὶ κλοπῆς*“, (cf. Fritzsche, de fab. retr. II., 5, 6.; Teuffel, Philol. VII., 349; VIII., 381) et qui dicit: *αἱ δὲ δεύτεραι ἐπὶ Ἀμεινίου ἄρχοντος*. Hic ex quo fonte grammaticorum error redundaverit, ut exploret, Dindorfius conjecit, criticos ad aliam fabulam, ad Vespas, aberrasse utramque comoediam, Nubes secundas et Vespas, confudisse, quae comoedia acta est anno 422, in qua, ut ait Stangerus, (über Umarbeitung einiger Aristophanischer Komoedien) ein Nachgrollen des in seinen Erwartungen getäuschten und in seinem Ehrgefühl gekränkten Dichters zu bemerken ist. (Vespae v. 1015 seqq.) Quae licet negari non possint, quod in Vespis idem consilium sibi propositum habet poeta, tamen grammaticos, qui omnes in explicanda fabula defigebant cogitationes, tam leviter loci difficultatem neglexisse, quis est qui credat? Adde quod eodem anno paucis ante an horis an diebus Proagon comoedia acta est, ut nullis auctoribus plures tum comoedias actas esse nisi incertis docentibus, Nubes secundas commissas esse parum veri simile sit. Neque credibile est, Nubes secundas in pagi alicujus theatro, ut Piraei, actas esse, cum scholiastes priores in urbe (*ἐν ἄστει*) doctas esse afferat, quod Enger in commentatione de parabasi Nubium Aristophanis censet et suo modo defendit. Veterum scriptorum testimoniis licet compertum habeamus, tragoedias vel comoedias spectatoribus probatas denuo doctas esse (exempla invenies apud Stangerum, pag. 3), maxime in pagorum theatris, tamen correctio quaedam vel retractatio fabulae, scenis nonnullis additis, amplificatis, omissis adhibebatur, ita tamen, ut summa quasi fabulae medulla asservaretur, et immutatio non fieret nisi *ἐπὶ μέρους*, quod testatur Galenus (ad Hippocrat. de salubri diait. XV. p. 424 Kühn.) „*ἐπιδιεσκευάσθαι λέγεται τὸ βιβλίον ἐπὶ τῷ*

προτέρῳ γεγραμμένῳ τὸ δεύτερον γραφέν, ὅταν τὴν ὑπόθεσιν ἔχον τὴν αὐτὴν καὶ τὰς πλείστας τῶν ῥήσεων τὰς αὐτάς, τινὰ μὲν ἀφῃρημένα τῶν ἐκ τοῦ προτέρου συγγράμματος ἔχῃ, τινὰ δὲ προσκείμενα, τινὰ δὲ ὑπηλλαγμένα. At superstitem Nubium comoediam, quippe quae imperfecta cujusque retractatio non satis absoluta sit, contemplantibus nobis dubium esse non potest, quin Aristophanes non modo eam denuo in scaenam non reduxerit, sed etiam illud consilium prorsus abjecerit, et nescio an majorem fidem habere debeamus veteri illi grammatico, qui in sexta hypothesi refert: *διεσκεύασται δὲ ἐπὶ μέρους ὡς ἂν δὴ ἀναδιδάξαι μὲν αὐτὸ τοῦ ποιητοῦ προθυμηθέντος, οὐκέτι δὲ τοῦτο δι ἥν ποτε αἰτίαν ποιήσαντος.* Quorum verborum scriptor pro concesso et probato sumit, poetam aliquantum quidem temporis secum agitasse consilium fabulae denuo agendae, sed postremo aliqua de causa dimisisse. Hoc loco omittere mihi licebit, quod comoedia, qualis nunc est, lacunas habet aliquot, cum aliis locis chori cantica desunt antiquitus, aliis strophae et antistrophae verba non satis inter se congruunt, aliis res narrantur, quae ad illum modo annum referri possunt, quo acta est fabula, aliis contextus sermonis interrumpitur. Num Aristophanes secundam Nubium editionem non perfectam nec emendatam denuo Atheniensium populo spectandam daret? Non sane, immo fidem habeamus veteri illi scholiastae, qui poetam fabulae iterum docendae consilium abjecisse testatur. Certe gloriam, quam impetraverat praebitis primis fabulis, Daetalensibus, Babyloniis, Acharnensibus, Equitibus, Vespis, amisisset, si invitis spectatoribus Nubes semel explosas de integro obtulisset nec perfectas nec retractatas. Notum erat enim, Aristophanem esse eum, qui Daetalenses et Babylonios composuisset, licet eas fabulas aliorum virorum nomine jam laudatorum egerit. Itaque dubium non est, quin superstites Nubes actae non sint, nisi forte existimamus, Nubes iterum actas alias esse atque eas, quae nobis in manibus sunt, filiosque post patris mortem, cum opus ederent, non retractatam fabulam edidisse, sed utramque editionem leviter con-

fudisse. Mihi quidem editores, quicumque sunt, e primis Nubibus quidquid ab Aristophane non erat damnatum aut aperte pugnabat cum novis, assumpsisse videntur, eo consilio usi, ut posteriores sine maxima offensione legi possent et aliquo tamen modo absolutae esse viderentur. (cf. Fritzsche, de fab. retr. IV., 4. Quaest. Aristoph. pag. 190.)

Restat, ut paucis de verbis septimi argumenti auctoris loquamur „*διτταὶ δὲ φέρονται Νεφέλαι.*“ Multi utramque istam Nubium recensionem non videntur in manibus habuisse. Ex verbis Platonis (in Apol. III. C.) „*ταῦτα γὰρ ἑωρᾶτε καὶ αὐτοὶ ἐν τῇ Ἀριστοφάνους κωμῳδίᾳ, Σωκράτη τινὰ ἐκεῖ περιφερόμενον, φάσκοντά τε ἀεροβατεῖν καὶ ἄλλην πολλὴν φλυαρίαν φλυαροῦντα*“, aliisque locis, quos apud eundem ac Xenophontem invenimus, eos Nubium comoediam novisse apparet, nescimus tamen, utrum isti scriptores primas an secundas significent. (Fritzsche, IV., 9.) At plurimi criticorum in iisque Callimachus neque viderant primas Nubes neque eas cum secundis comparaverant, quod colligitur ex Scholiis Nubium 552. *Ἐρατοσθένης δέ φησι Καλλίμαχον ἐγκαλεῖν ταῖς διδασκαλίαις ὅτι φέρουσιν ὕστερον τρίτῳ ἔτει τὸν Μαρικᾶν τῶν Νεφελῶν, σαφῶς ἐνταῦθα εἰρημένου ὅτι πρότερον καθεῖται. Λανθάνει δ' αὐτὸν ὅτι ἐν μὲν ταῖς διδαχθείσαις οὐδὲν τοιοῦτον εἴρηκεν, ἐν δὲ ταῖς ὕστερον διασκευασθείσαις εἰ λέγεται, οὐδὲν ἄτοπον.* Viderant Eratosthenes, Nicander, Athenaeus et sexti argumenti auctor (cf. Fritzsche, IV., 5 seqq.; vide etiam Teuffel, Aristoph. Wolken pag. 22), qui fuerunt tertio saeculo post Christum natum; inde ex eo tempore primae Nubes mihi in oblivionem abisse videntur, nulla earum apud scriptores amplius facta mentione. Sed haec hactenus. —

Quaerendum nunc est, quod in scribenda Nubium fabula consilium secutus sit Aristophanes. Mirum non erat poetam, cum esset vir optimus patriaeque amantissimus, summo cum lucto ac maerore gliscentem rei publicae labem cernere et auctae lapsaeque civitatis causas quaerere. Etenim sicut asperis

temporibus ac bellis animus excitatur ingeniumque acuitur, ita bellis Persicis id effectum erat, ut Athenienses, quippe qui hostibus ad Marathona et Salamina devictis patriam e periculo eripuissent, ad summam potestatem gloriamque pervenirent et principatum totius fere Graeciae obtinerent, quem universi Graeci, si a Peloponnensibus discesseris, cum propter Pausaniae superbiam tum propter Aristidis aequitatem iis obtulere. Inde Atheniensium potentia mirum quantum aucta est, nec prudentissimus quisque in re publica vir patriam jam omnibus copiis valentem ad summam rerum amplitudinem ac prosperitatem non provexit. Atque praeter ceteros, quod in civium suorum animis elegantiam alebat et accendebat, floruit Pericles, cum perficeret, ut aurea illa artium litterarumque aetas oriretur Athenarumque urbs humanitatis sedes ac domicilium fieret, quo quasi in theatrum artifices poëtae oratores ingenii opera conferrent et ut disputarent, rhetores et philosophi convenirent. At in ipso litterarum flore prisca virtus magis et magis dilabi coepit, quae non in opibus, divitiis, ingenii dotibus, sed in frugalitate atque integritate, in deorum reverentia, patriae amore, obedientia legum, pietate erga parentes cernitur; itaque evenit, ut id, quod ingenii cultum adjuverat, ad corrumpendos mores plurimum valeret. Quod quomodo factum sit, breviter percurrere libet.

Solon quum moderatam illam libertatis speciem, qua populi licentia ab optimatibus, optimatium libido a populo coërceretur, instituisset, illa tamen juris aequabilitas diuturna non erat, sed cum a tyrannis, qui insecuti sunt, tum a Clisthene aliisque viris, qui civitati praefuerunt, salutaris illa temperatio exstincta, populi tributim describendi modus sublatus est, quo fiebat, ut optimatium auctoritatas in dies magis comminueretur, augeretur autem populi potentia. Haec civium aequabilitas licet temporibus belli Persici, ut Athenienses Graecorum principatum sibi compararent, effecerit, victoria tamen reportata ex hostibus omnia mutabantur. Nam quum divites pauperes, nobiles humiles pari ardore

patriam defendissent Graeciamque ab interitu vindicassent, populus laudis fortitudinisque sibi conscius spiritus sumere coepit nec diutius se civitatis primoribus inferiorem esse passus est, ut Aristides temporibus cedens legibus caveret, ut civibus omnibus omnes magistratus paterent. Quae cum ita essent, neque, quod populi potentia magis magisque firmabatur, mirum nobis videtur et temporibus usque eo necessarium, ut, quicunque in rei publicae administratione florere vellet, popularem auram captaret. Itaque si quis in re publica vir liberalitate populum sibi devincire recusavit, fieri nullo modo potuit, quin aequalium studia complecteretur eaque teneret, et Pericles, qua erat prudentia, facillime, quomodo civium animos sibi obligaret, quum perspexisset, stipendiis et judicium exercentium et ludos spectantium institutis populum locupletavit. Jam si a nobis explicatum est, quae res ejusmodi fuerint, ut Atheniensis commodam ac jucundam agerent vitam, non difficile erit ad intelligendum, quid causae fuerit, quod non ita multo post magnos spiritus sumerent et insolentia quasi exsultantes instar tyrannorum dominationem tractarent. Adde quod fieri non poterat, quin mores Atheniensium ipso principatu, quem tam brevi tempore adepti essent, vehementer depravarentur. Cessit enim ex eis inflammatus ille pro patria pugnandi ardor, quo impendente sibi periculo floruerant, et ad virtutem militarem segniores esse coeperunt, et cum postea omni studio ad res maritimas incumberent studiumque mercaturae agendae augeretur, opibus ac re abundare cives coeperunt, quo fiebat, ut molles luxuriosi avari existerent, ut nemo esset, quin rem publicam magis privato commodo, quam communi saluti administraret. Inde evenit, ut postquam et voluptatis et pecuniae cupiditas, teterrima vitia, Atheniensium mores corruperunt, civitatis omni honestate atque amicitia destitutae fundamenta labarent atque titubarent. Quam labem contemptio religionis consecuta est. Quae Homerus Hesiodusque de diis carminibus vaticinati erant illius aetatis moribus accommodata, huic recentiori hominum generi non jam probabantur,

praesertim cum philosophia in lucem prodiret, utpote quae veram hominibus ac puram religionem aperiret et patefaceret eosque crassis, quae de rebus divinis ingenia occupavissent, superstitionibus notionibusque liberaret et ad veram germanamque de diis opiniorem deduceret. Inde factum est, ut philosophi in iisque, qui sophistae appellabantur, prisca de diis opinione ex animis ejecta atque explosa, cum, quae patres de diis immortalibus credidissent, fabellas aniles atque ineptas judicassent, religionem labefactarent ex animisque deorum reverentiam evellerent. Atque iidem tamen licet rerum adspectabilium mundique originis natura dilucidius evoluta interdum emendatiores de diis opiniones protulerint, religioni a populo receptae nocuisse mihi omnibusque visi sunt, propterea quod populus de rebus physicis placita mente non complexus, ratione philosophorum a consuetudine oculorum sevocatiore in malam partem accepta, fieri non potuit, quin religionum legumque sanctitatem obtunderet et fastidiret perderetque patriae amorem. Et dum pacis dulcedine fruuntur Athenienses, vitia sese abscondebant aut bonitatis speciem prae se ferebant, bello autem Peloponnesiaco exorto cuncta prorumpebant ac longe lateque diffundebantur. Quantopere Atheniensium res fuerint afflictae ipsique a majorum virtute degeneraverint, ut facilius intelligamus, quae Thucydides in capite octogesimo altero libri tertii de illa civitatis morumque conditione scripserit, legere et conferre possumus: verum haec quidem hactenus; — nam longius quam institueramus provectos nos esse sentimus — ad propositum nunc revertamur et videamus, quomodo novam sophistarum doctrinam, quae patriae calamitatem intulisset, et Socratis personam inter se conjunctas voluerit poeta. Quid ergo? Censemusne poetam luxuriam insolentiamque civium, impietatem eorum in parentes ac suos, linguae volubilitatem atque litium et judiciorum amorem, quae omnia in Nubibus suis salibus perstringit et in ludibrium convertit, Socrati soli crimini dedisse omnium istorum vitiorum auctori? An illum in Socratis potissimum personam incidisse, cum omnium, qui

tunc Athenis philosophiam profiterentur, esset civis Atheniensis ideoque idoneus, qui in comoedia populo ad irridendum proponeretur. (cf. Fritzsche, quaest. Ar. 105. seqq.; Teuffel 17.; Kock, 11.) Affero etiam verba viri doctissimi Deschanelii Francogalli — ancien maître-de-Conférences à l'Ecole Normale supérieure — in „Etudes sur Aristophane", Parisiis 1867, pag. 148: „Si Aristophane choisissait Socrate pour représentant de la sophistique plutôt que Gorgias ou Protagoras, c'est peut-être qu'il aimait mieux prendre pour plastron de ses railleries un concitoyen athénien, que les confrères étrangers de celui-ci, qui étaient seulement de passage à Athènes.") Credo: sed ne illud quidem praetereundum puto, quod Socrates peculiaribus quibusdam causis, et calvitio, qua de causa cum Silenis comparatur (Xenoph. conv. IV. 19; V. 7.; Plat. Symp. XXXII. 215 A.) et arroganter incedendo (ὅτι βρενθύει ἐν ταῖς ὁδοῖς) et hominum superborum more obliquis oculis alios intuendo[2] (καὶ τὠφθαλμὼ παραβάλλεις et σεμνοπροσωπεῖς; cf. etiam 225) et nudis pedibus ingrediendo (ἀνυπόδητος) aequalium suorum oculos in se converterat eorumque dicteriis petitus erat. Quanto magis poeta Socratis personam arripuisse videbitur, ita tamen, ut partim quae in ipso conspiciebantur, partim quae ab aliis philosophis desumpta erant, in illum transferret! Nec idcirco videmus Socratem Platonis aut Xenophontis ingenio expressum aut ex omni praestantia virtutis conflatum, sed ne germanum quidem ante oculos habemus, quadratum (τετράγωνον) dico illum virum, qualem a primis aetatis temporibus novimus. Et vero jam cum laete nutricis, ut ita dicam, singularem quandam summae perfectionis de Socrate imaginem animo imbibisse videmur, cui nihil addi potest. Hic quaeret quispiam, unde effectum sit, ut talem in animis nostris de Socrate imaginem effinxerimus. Profecto, inquimus, ad summam istam laudem non pervenisset, nisi Platonem Xenophontemque gloriae praecones invenisset. Sicut Themistocles Seriphi natus,[3] ut ait Plato, diem su-

[2]) Plat. Phaed. 117. B. ταυρηδὸν ὑποβλέψας.

[3]) Cf. etiam Plut. apophth. pag. 114. Hutten.

premum obisset inglorius atque ignobilis, ita Socratis memoria eorum scriptis minus celebrata in omnium gentium animis non haereret. Quid mirum? — Itaque quoniam Aristophanes in istum virum, quem Hamannus noster „prophetam paganorum“, „den Propheten der Heidenwelt“ appellat, quem ne levissima quidem macula adspergi licere censemus, asperrime invectus est eumque crudelissimis reprehensionibus cumulat, nobis nunc quaerendum est, quaenam ratio Aristophani cum Socrate intercesserit, ut istum tanquam *ἀρχέτυπον* philosophi vanissimis rebus deditum induxerit ejusque effictam a nobis perfectissimae virtutis imaginem criminationibus contaminaverit. Nemo propheta apud suos vel, ut ait Deschanel pag. 149: „Si Socrate est un idéal pour nous, nul n'est un idéal pour ses contemporains, comme nul n'est héros pour son valet de chambre.“ Attamen me dies deficiat, si tantam eam, quas doctissimi viri de Aristophanis consilio tulerint, opinionum toto coelo distantium molem afferre velim: nolo in earum ratione multus vobis videri. Ut aliquando ad illa majora veniamus: quid mihi ipsi comparatis inter se doctorum virorum sententiis in componenda Nubium fabula poetam in animo habuisse verisimillimum videatur, paulo copiosius exponere constitui, non quo novum quiddam a nullo adhuc perspectum investigarim, sed quia, quum tanta inter se discrepantium sententiarum vis congesta sit, unde ordiar, ubi finem faciam, non habeo. Age sis nunc de illo Aristophanis consilio, de quo nunc inter viros eruditissimos convenit, disseramus. Namque in ea civium suorum commutatione ac depravatione animorum poeta, cum esset vir bonus patriaeque amantissimus — ut supra jam demonstravimus — nihil antiquius habere sibi videtur, quam ut, quibus ex fontibus effrenata illa morum dissolutorum corruptio manaverit, exquirat et explorata causa sanandis aequalium moribus remedia inveniat. Atque comico talia secum reputanti perspicuum fiebat, totam rei publicae gubernandae rationem, conditionem litterarum, educationem juventutis, deorum venerationem longe remotam esse a majorum consuetudine, quin

etiam tantum abesse, ut cives ad virtutem redituros esse liceret sperare, ut summo opere metueret, ne prisca vitae disciplina prorsus dilaberetur praecepsque iret. Jam cum omnium rerum novarum causam jure a sophistis repeteret, qui novam puerorum instituendorum artem se docere profiterentur, qui de rebus physicis ac divinis, de ratione civili ac privata disputarent nec maximam vim ad rei publicae privataeque vitae conditionem commutandam non exercerent, si omnia ejusmodi studia, quae a patrum more abhorrerent, salibus perstrinxisset nec modo ridenda, sed etiam perniciosa effinxisset, immortaliter de re publica meriturum se esse censuit, et cum persuasum ei esset, joca atque seria artissimo inter se copulata et consociata teneri vinculo, (Ran. 389; Acharn. 500, 655) non tam dicacitatis aculeis quam summa severitate factum est, ut pungerentur et perstringerentur omnes, qui poetae cladem patriae inferre viderentur, neque Cleo, neque Euripides, neque Alcibiades, neque Pericles, neque Agatho insidias ejus aliorumque comicorum, Cratini, Eupolidis, Amipsiae effugerent. Quid? si constat eum plane non dubitasse, quin ars sophistica, illa rei publicae pestis ac pernicies, quae rationem agendi ac sentiendi a majoribus traditae omnino contrariam doceret et prae se ferret, omnia, quae agerentur, ad utilitatem, non ad rem ipsam referenda esse, venenum illud jam in civitatis corpus infusum postremo in omnes quasi venas diffusura esset, miramurne, eum actae aetatis laudatorem exstitisse moresque majorum (*τῶν Μαραθωνομαχῶν*), qui in vitae discrimen illati patriam e periculo eripuissent et satis in ipsa conscientia pulcherrimi facti fructum cepisse se sibi visi essent, ad coelum extulisse divinisque laudibus exornasse? Attamen illud poetae probro dandum est, quod rei publicae vulneribus (*τοῖς ἠπιάλοις καὶ πυρετοῖσιν*, Vesp. 1038) in conspectu civium positis non haberet, quibus remediis sanarentur.

Satis enim non est vitia suorum reprehendere et exagitare, nisi eis mederi studeas. Ita factum est, ut cum Aristophanes justitiae honestatique a majoribus cultae ad-

haeresceret novorumque studiorum quasi venenum in omnes civitatis venas irrepens repellere pararet, quid veri in philosophorum doctrina ac praeceptis inesset, non curaret neque operam navaret, ut ipsius Socratis, cujus personam tanquam sophistarum principis ac ducis in ludibrium verteret, philosophiae tractationem cognosceret. (cf. Deschanel, pag. 105, 106, 110. Dans cette pièce, Aristophane, emporté par la peur des nouvelles idées, calomnie leur représentant le plus illustre et le plus pur, l'un des hommes les plus divins qui aient jamais existé sur la terre. On voit là un esprit affolé par la crainte, comme certaines gens qu'épouvante aujourd'hui le nom seul de socialisme, et qui, le plus naturellement du monde, calomnient et frappent leurs adversaires sans les comprendre, sans leur permettre même de définir ce nom. Ils se donnent le titre de conservateurs, et perdraient tout, si leur dessein réussissait. Ils se roidissent et se fâchent contre le mouvement irrésistible; ils protestent au nom du passé, et jettent à ce monde qui gravite vers de nouvelles destinées d'inutiles admonestations. Tel fut le rôle d'Aristophane; bref, il est conservateur et fébrile réactionnaire enragé.)

Quantis quam variis poeta implicatur erroribus! Quid sit discriminis inter Socratem ipsum et sophistas, ignorat. Neque enim quisquam contendere poterit, poetam philosophum Socratem ipsum illudere noluisse, sed ejus tantum persona usum in sophistas invectum esse, quippe qui Atheniensium civitatis fundamenta subruerent; de hac re inter omnes, qui de Nubium comoedia antiquitus disseruerunt, satis superque constat, neque Socrati ipsi in mentem venit, non se, sed sui tantum imaginem, quae esset „ein allgemein bedenkliches Symptom im Leben des atheniensischen Volkes",[4]) peti atque irrideri. (cf. Theodor Rötscher, Aristophanes und sein Zeitalter, Berlin 1827, pag. 279 seqq.)

---

[4]) vid. Süvern, über Aristophanes Wolken, Berlin 1826, pag. 32.

Concedo comici esse vitam humanam ejusque vitia ita imitando effingere atque exprimere, ut, qui spectatum venerint, ea re delectentur, porro comicum cogi res personasque non abstractas, ut philosophorum more loquar, sed concretas inducere: quis vero aut quaenam artis lex Socratem cum sophistis confundere poetam coegit? Puto equidem, non opus fuisse arte poetica Aristophanea, ut Socratis honestate ac dignitate non impugnata ipsi morum corruptioni impetus inferretur: certe minoris ingenii poeta id sibi propositum peragere potuit. Sed quoniam id factum est, neque putare nobis licet, illum consulto ac malitiose Socrati injuriam imposuisse aut odio quodam vel Meleti et Anyti, qui viginti tribus annis post philosophum capitis accusaverunt, auro corruptum fabulae scribendae consilium cepisse, sumamus oportet, veri Socratis figuram et speciem, vivendi rationem et consuetudinem cum sophistarum moribus permisceri, ita tamen, ut personati philosophi adumbratio non esset nisi erroribus obducta atque turbata. Mancam igitur et curtam illius viri exhibet imaginem ejus dissimillimam, quae animis nostris ex Platonis Xenophontisque scriptis obversatur. Quae cum legissemus, illud facile intelleximus, Socratem omnium Graecorum philosophorum primum de humano intellectu ejusque natura diligentius quaesivisse eoque modo universam philosophandi rationem, quae antea incerta ac dubia titubaret et vacillaret, magis confirmavisse atque stabilivisse. Et cum sophistae speciosa quadam disputandi ratione omnia humana atque divina labefactare coepissent rerumque notiones pervertere et perturbare ausi essent, in omnis rerum sapientiae possessione sese jactantes, factum est, ut audientium animos orationibus omnibus dicendi ornamentis instructis obcaecarent et magna auctoritate sibi comparata multorum juvenum animos prava sua sapientia imbuerent. At Socrates, quam vim ista sophistarum docendi levitas ad juventutem corrumpendam exerceret, cum perspexisset, quo erat ingenii acumine judiciique sanitate, mox intellexit, quibus vitiis ista sophistarum philosophandi ratio laboraret, iisque exstitit adversarius

acerrimus atque pertinacissimus, ita ut cum sophistis nihil commune haberet nec ullum diem praetermitteret, quin vanos illos homines inanique de se opinione inflatos acerbissimis verbis aggrederetur superatosque prosterneret. Quantum distat Socrates Aristophaneus a vero germanoque, ut Schilleri nostri verbis uti possimus, eum nihil aliud in illo perspexisse, nisi

Wie er räuspert, und wie er spuckt,
Das habt ihr ihm glücklich abgeguckt.

Quid mirum, si fabula, cum doceretur, solitos exspectatosque plausus non assecuta et poeta jam plurium palmarum a competitoribus superatus est? Populus enim Atheniensium non germanum sibi ostendi Socratem ratus ac fortassis indignatus, quod personam ejus, quem vitae integritate et morum sanctitate sibi recte vivendi viam praeire non ignorarent, criminationibus contaminaret falsissimis, poetae nec primas nec secundas detulit. Qui quidem cum hanc comoediam suarum optimam haberet ac maxime operosam, ne operam perderet, consilium cepit eam retractandi, quam ob rem in secundis Nubibus pro Socrate Sermonem Injustum et Justum Phidippidem docentes introducit. Jam majorum et recentiorum hominum mores inter se elegantissime et facetissime ab iis comparantur,[5]) tamen, quoniam ipse poetae suae aetatis alumnus est ac vir vere Atheniensis, ubicumque actae aetatis et suae rerum morumque delectum habet, sophisticae doctrinae summam oculis perlustrari sinit et morum depravatorum fontem primoribus tantum labris attingit (cf. Kock, die Götter des Volksglaubens und Aristophanes, Leipzig, 1857, pag 76 seqq.; Nägelsbach, nachhomerische Theologie, Nürnberg, 1856, pag. 471 seqq.; Schwegler, Gesch. der Philosophie, Stuttgart, 1863, pag. 30.)

Postquam igitur ad eam quam memoravimus fabulae retractationem animum attendit, fieri non potuit, quin um-

---

[5]) Alfred de Musset: C'est la plus grave et la plus noble scène que jamais théâtre ait entendue (137).

braticus ille ludimagister atque ineptiis deditissimus, qualem Socratem in primis Nubibus habemus, in secundis scholae imperium Sermoni Justo atque Injusto cederet ac postremo consilio fabulae prorsus commutato seponeretur, unde effectum est, ut Aristophanes aut novae operae mole oppressus aut postea Socrate familiarissime usus omnino comoediae retractandae consilium abjiceret.

Jam restat, ut animum ad illud attendamus, quod Socrates postea tantum abest, ut poetae infensus iratusque fuerit, ut etiam cum eo amicitiam junxerit et convivatus sit (Plat. Symp.). Verum quidem est, Platonem maximeque Xenophontem falsam temereque de praeceptore dilectissimo conceptam opinionem, quae ea re aucta esset, quod nonnulli ejus discipulorum, Alcibiades, Critias, Theramenes, patriae summam intulissent calamitatem, et ipse Lacedaemoniorum instituta praeter cetera amare existimaretur (216), scriptis esse minuendam censuisse, eundemque Xenophontem primis duobus Memorabilium capitibus in diluendis criminibus Socrati objectis magnam operam posuisse, nec tamen apud Xenophontem usquam Aristophanis mentio fit, nec apud Platonem significatur nisi leviter in Apol. 19 C.: *ταῦτα γὰρ ἑωρᾶτε καὶ αὐτοὶ ἐν τῇ Ἀριστοφάνους κωμῳδίᾳ, Σωκράτη τινὰ ἐκεῖ περιφερόμενον, φάσκοντά τε ἀεροβατεῖν καὶ ἄλλην πολλὴν φλυαρίαν φλυαροῦντα, ὧν ἐγὼ οὐδὲν οὔτε μέγα οὔτε σμικρὸν πέρι ἐπαΐω*; quibus ex verbis nihil colligere nobis licet aliud, quam quod conquerendo affert, Aristophanis fabula falsos de Socrate adjutos esse rumores, quin etiam de Platone memoriae proditum est ipsum in poetae admirationem conversum eumque in dialogis componendis imitatum esse. (Olympiod. vit. Plat.)

Dixi de Aristophanis consilio; nunc de Socratis persona apud illum quaeramus. Jam proposuimus Aristophanem in fabula Socratis imaginem expressisse, quae similitudinem quandam haberet cum vero germanoque; nam praeterquam quod ejus philosophandi docendique rationem (*ἡ ἐπαγωγή*,

ἡ μαιευτική), ut erat grandiloqua nec a sophistarum more aliena, populo ostendi arbitramur, illud quoque veri simillimum est, actorem comicum Socratis persona indutum, calvum, labiosum, discalceatum, sordidum in scaenam prodisse, saepe meditantem substitisse, oculosque circumtulisse: sed illud quoque contendimus, poetam notas multas de sophistis[6]) decerptas Socrati affinxisse: nunc quaenam istae sint, videamus. Atque complectentibus oratione crimina omnia per totam comoediam dispersa quattuor nobis occurrunt, quae multum abest ut in Socratem cadere possint, primum quod juventutem ab exercitationibus animi corporisque avocet eamque effeminet; deinceps quod pravam eloquentiam profitens eam litium cupidam efficiat; deinde quod vanis sophistarum de dis placitis deditus novos introducat deos; ad extremum quod pro institutione sua mercedem avide exigat. Horum, si placet, criminum quantum quamque sit justum aut injustum, unum quodque videamus.

Ab exercitationibus animi corporisque juventutem abstrahit eamque effeminat. Qui quidem Socrates, cum omnes curas cogitationesque in emendandis moribus aequalium maximeque adolescentium, qui postea corroborata jam aetate ad gubernacula rei publicae sederent, defixisset, cum in publico quotidie atque in officinis sutorum, coriariorum, fullonum, figulorum philosopharetur aut a vita quotidiana, ab opificibus, ab omnibus denique rebus, quas cuique cognitas esse novisset, petere soleret exempla, (Xen. Mem. I, 2, 37; III, 7, 6; IV, 4, 5; Nubes 234) num philosophiae disciplinam domesticam quandam atque umbratilem traderet discipulis? Atqui Aristophanes Socratem in φροντιστήριον inclusit, ubi ab omni ventulo se tuetur, discipuli ejus solitaria

---

[6]) Et ipse Aeschines (I, 173) eum sophistam appellat, et apud Plutarchum (Cat. min. 23) a Catone λάλος καὶ βίαιος vocatur, unde cognoscitur, posteri, sicuti factum est, ut perperam de Socrate judicarent, ita paulo supra nostram memoriam Forchhammerium (in „die Athener und Socrates“, 1837) ejus accusatores imitari potuisse.

ac velut umbratili vita instar captivorum usi palluerunt, nec frigidi aëris flatum sustinere possunt (186, 198). Tali vitae degendae ratione, praesertim cum omnes magistri discipulorumque cogitationes in nugis ineptiisque (145, 157, 171 etc.) continerentur, mentem acui posse poeta negavit. Ecquis dixerit veram hic Socratis imaginem nobis objici? Certe nemo. Etenim Socrates cum sibi persuasisset omnem veram rerum cognitionem a sola mente et cogitatione repetendam esse, et quidquid verum esset, id unum idemque esse in eoque omnes homines consentire necesse esse intellexisset, sic cum cujuscunque generis hominibus disputabat, ut, quod ipse pro vero habebat, iis non obtruderet, sed cum nihil affirmaret ipse, apte concinneque percontando et interrogando veritatem e cujusque mente elicere studeret. (cf. Cicero, Fin. II, 1, 2; Acad. I, 4, 16.) In qua re tanta utebatur arte, ut ii, quibuscum dissereret, ipsi rem invenisse sibi viderentur. Puto equidem tali docendi ratione, qua cogitationes et cognitiones in animo tanquam dormientes suscitentur e somno, fieri non posse ingenium quin excolatur atque acuatur.

Restat, ut de corporum exercitationibus pauca dicamus. Namque a poeta philosopho nostro exprobratur, juvenes sua instituendi ratione ad mollitiem pellici, palaestras vacuefieri, frequentari balneas, istam denique docendi artem adolescentulis nihil aliud praebere nisi illecebras desidiosas. Sed ne in iis quidem criminibus fidem habere possumus Aristophani, sed Xenophonti, cujus commentarios unum limpidissimum fontem esse, e quo genuina Socratis doctrina ducenda sit, judicemus necesse est. (cf. Roetscher, pag. 394 seqq.) Is enim his ipsis verbis utitur (I, 2, 4): *τοῦ σώματος αὐτός τε οὐκ ἠμέλει τούς τ' ἀμελοῦντας οὐκ ἐπῄνει,* quibuscum si alios locos (I, 2, 1; 3, 5; 6, 2) apud Xenophontem comparaverimus, ubi de laboriosa ejus corporis exercitatione ejusque in victu continentia loquitur, mirari debebimus, quid sit, quod Aristophanem ad istud crimen in Socratem inferendum impulerit. Atque profiteri nos oportet, ut Socrates ab omni

effeminatorum morum culpa procul abfuerit, ita illam in sophistas, publicae dico infirmitatis auctores, transferendam esse; nam patriae bello vexatae strenuis juvenibus opus erat.

Venio nunc ad alterum crimen Socrati objectum, quod pravam eloquentiam profitens juventutem litium cupidam efficiat. Strepsiades filio, ut Socratis scholam adeat, narrat 112 seqq.:

εἶναι παρ᾽ αὐτοῖς φασιν ἄμφω τὼ λόγω,
τὸν κρείττον᾽, ὅστις ἐστί, καὶ τὸν ἥττονα.
τούτοιν τὸν ἕτερον τοῖν λόγοιν, τὸν ἥττονα,
νικᾶν λέγοντά φασι τἀδικώτερα.

Hoc loco Socratem cum Gorgia, Thrasymacho, Protagora, Prodico, Hippia sophistis, qui tunc Athenis sese docere profitebantur arrogantibus sane verbis, quemadmodum causa inferior dicendo fieri posset superior (Cic. Brut. 8, 30) confundi, quis est qui neget? Quod crimen et Plato et Xenophon leviter attingunt, cum ille Socratem accusatum fuisse dicit, quod *τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιεῖν* (Apol. 23, D.) se posse professus sit, iste Critiam vetuisse Socratem *λόγων τέχνην* (*μὴ*) *διδάσκειν* (Mem. I, 2, 31) commemorat additque, illum, cum non habuerit, ubi philosophum impugnaret, *τὸ κοινῇ τοῖς φιλοσόφοις ὑπὸ τῶν πολλῶν ἐπιτιμώμενον* ei intulisse. Hinc luce clarius est, Socratem cum istis sophistis nihil commune habuisse et Aristophanem, cum ambos Sermones, Justum et Injustum, in scaenam introduceret, ad Protagoram[7]) potissimum spectasse, illiusque exemplum comica quadam imitatione effinxisse. Tamen in eo uno non prorsus culpam a Socrate dimovere possumus, quod juventutem justo loquaciorem et litium cupidam effecerit. De hac re Fritzschium loquentem audiamus (quaest. Arist. 126): „Hoc unum addam, Socratem omnino docuisse, quemadmodum causa inferior dicendo fieri superior posset. Falso igitur a Cicerone in Bruto c. 8. Socrates dicitur iis, qui istud tam arrogantibus

---

[7]) vid. Diog. Laert. IX, 51: *πρῶτος* (*Πρωταγόρας*) *ἔφη δύο λόγους εἶναι περὶ παντὸς πράγματος ἀντικειμένους ἀλλήλοις* seqq.

verbis profiterentur, sese opposuisse.“ Etenim quanquam artem dialecticam se docere negabat, tamen, quotiescunque cum discipulis disputabat, eam ingressus est rationem, ut „brevibus interrogationibus et responsionibus uteretur et rebus singulis insisteret, nec ulterius procederet, nisi concessis et perspectis iis, quae antecederent, rejectis contra iis, quae rebus concessis repugnarent, atque ita e rebus concessis ad exitum perveniret.“ Tali docendi ratione discipuli quin diserti ac facundi existerent et interdum facundia parta abuterentur, nemo dubitavit nec dubitabit unquam. Ejus rei documentum ex Alcibiade capere nobis licet, qui Periclem percontando respondendo convincendo in summas angustias compellit diffisumque, se ex eo certaminis discrimine victorem discessurum esse, cogit, ut dicat: *καὶ ἡμεῖς, τηλικοῦτοι ὄντες, δεινοὶ τὰ τοιαῦτα ἦμεν· τοιαῦτα γὰρ καὶ ἐμελετῶμεν καὶ ἐσοφιζόμεθα, οἷά περ καὶ σὺ νῦν ἐμοὶ δοκεῖς μελετᾶν* (Mem. I, 2, 46). Sed Socrates tantum abfuit, ut discipulos subrostranos, veteratores, nebulones, litigiosos (roués d’éloquence, vrais claquets, fines fleurs, ut ait Deschanel, 128) reddere conaretur, ut summo cum luctu aequales videret, quae erat ratio atque inclinatio illorum temporum, quod supra jam exposuimus, ut in lites agendas ruerent ac fallacibus dicendi artibus (208, 728, 792, 943, 1172), ut injusta causa justa fieret superior, impetrare studerent. (cf. Mem. III, 5, 16.) Quae cum ita sint, Aristophanes serio neque illud Socrati, proinde quasi illius culpae affinis sit, exprobraverit neque nos adducet, ut credamus, Socratem arti metricae, rhythmicae, grammaticae (*τῇ ὀρθοεπείᾳ*) operam dedisse (642, 647, 663), quarum in studium ille nunquam incubuit. His criminibus Socratem ad sophistas, quales erant Prodicus, Protagoras, Hippias, qui iis temporibus Athenis ejusmodi studiis floruerunt, aggregari verisimillimum est (plura invenies apud Grothium, de Socrate Aristophanis, Trajecti ad Rhenum, 1833, pag. 126—139).

Sequitur tertium crimen, quod maximum est, Socrati datum. Socrates vanis sophistarum de dis opinionibus de-

ditus novos introducit deos ac religionem labefactat. Quosnam deos? An nimirum illud, quod de Socrate accepimus quodque ab ipso in libris Socraticorum saepe dicitur, esse divinum quiddam, quod *δαιμόνιον*[8]) appellat, cui semper paruerit nunquam impellenti, saepe revocanti? (Cic., de divin. I, 54, 112.) Minime vero. In omni enim comoedia nulla hujus divini numinis fit mentio. Attamen Socrates Strepsiadi dicenti „*μισθὸν ὀμοῦμαί σοι καταθήσειν τοὺς θεούς*, 246" respondet: *ποίους θεοὺς ὀμεῖ σύ; πρῶτον γὰρ θεοὶ ἡμῖν νόμισμ' οὐκ ἔστι*, quibus verbis se deos venerari, per quos homines jurare soleant, negat. Paulo post sua numina esse nubes (252), aërem (264), aethera (265) declarat. Etenim jam inde a Thalete usque ad Socratem per totam Graeciam exstiterunt, qui sublata prisca religione aut universam mentem mundi, a qua omnia effecta essent, statuerent, aut concretos illos atque individuos deos Homericos allegorice interpretarentur. Quo factum est, ut crassum, qui vocatur, polytheismum aspernati aut ad ipsius naturae vires, e quibus universum manavisset, spectarent et in physicorum studia se abderent, aut ad veram et genuinam unius Dei ideam, a quo mundus creatus esset, accederent. Atque in his Socratem quidem constat purissimam de Deo opinionem cogitatione sibi effinxisse. Quare cave, ne, quod eum physicis deditum esse poeta dicit, illo crimine Socratem peti existimes. Narrat quidem in Platonis Phaedone (96 A. seqq.) se adolescentulum mirum in modum ei sapientiae, quam *περὶ φύσεως ἱστορίαν* vocarent, indulsisse, ita ut physicorum opiniones dissensionesque cognoverit, tamen illum unquam physica discipulis tradidisse multum abest ut probabile sit. Diogenes enim Laertius Socratem, cum perspexisset *τὴν φυσικὴν θεωρίαν μηδὲν εἶναι πρὸς ἡμᾶς*, ad philosophiam moralem se convertisse memoriae prodidit. Atque idem confirmant Plato Xenophonque, cum non solum uterque praeceptorem ab ejusmodi studiis omnino abhorruisse commemorat, sed

[8]) De daemonio vide excursum Breitenbachii in Xen. Mem. ed. IV.

alter etiam addit, eum talem sapientiam esse insipientium prae se tulisse. (Apol. 19. D; Mem. I, 1, 11.) Quid dicam de Socratis rerum caelestium et astronomiae studiis, quid locorum molem afferam, in quibus aut in corbe pensili versans aut a vita quotidiana remotus nubes et inania captat, quid loquar de subtilibus quidem quaestionibus, sed perquam inutilibus, quae a Socrate et Chaerephonte ponuntur: quot sui ipsius pedes emetiatur pulicis saltus? utrum ore an podice sonos edant culices? Nec aetheris Turbo (ὁ Δῖνος 380), quo fulmen atque tonitrum fieri Socrates docuisse dicitur, nos impediet, quominus hic culpa eum omnino caruisse judicemus: immo earum criminationum culpam conjiciamus in philosophos Jonicos illos, in Anaximenem, Democritum, Diagoram, qui praeter ceteros ἄθεος nominabatur,[9]) (Diod. Sic. 13, 6; Nub. 830) Anaxagoram, quem paucis annis ante actam Nubium fabulam propter impietatem ex urbe ejici ne Pericles quidem prohibere potuerat. (Diod. XII, 39; Diog. Laert. II, 12.)

Reliquum est, ut de illo sophistarum genere, quod poeta festive a Nubibus ali dicit, pauca loquamur; v. 332 enumerantur:

Νεφέλαι πλείστους βόσκουσι σοφιστάς,
Θουριομάντεις, ἰατροτέχνας, σφραγιδονυχαργοκομήτας,
κυκλίων τε χορῶν ᾀσματοκάμπτας, ἄνδρας μετεωροφένακας,
οὐδὲν δρῶντας βόσκουσ᾽ ἀργούς, ὅτι ταύτας μουσοποιοῦσιν.

His versibus certos quosdam viros, qui tum temporis Athenis commorabantur fallacibusque dolis stolidos homines decipiebant, tangi quis est, quin intellegat? Undique collecti in urbem confluxerunt, ut quaestus aut ostentationis causa philosopharentur, in iis Lampo vates, qui coloniae Thurios deducendae praefectus fuerat, (Schol. ad h. l.), Hippocrates et Herodicus (Plat. Prot. 316. E.), Cinesias, Philoxenus, Cleomenes, Phrynis (971), alii qui arti dithyram-

---

[9]) Cic. de nat. Deor. I, 23, 63.

bicae operam navabant (Schol.). In ejusmodi nebulonum et planorum numerum referendi sunt ii, qui a poeta *μετεωρολέσχαι, μετεωροφένακες, μετεωροσοφισταί, ἀερολέσχαι, ἀδολέσχαι* appellantur. De Gorgia eodem, qui, de qua quisque re audire vellet,[10]) docere se posse profitebatur, etiam memoriae proditum est, eum pallio purpureo indutum et calceis aureis in publicum prodisse (Deuschle, Einleit. pag. 3.); nam ut ingenium et oratio, ita habitus et cultus; studiose vestimentorum ornatum sectabantur et specie lauti bellique videri studebant, ut magnificentia ac splendore oculos animosque discentium delenirent. In eo numero dubium esse non potest, quin fuerint, qui doctrinis suis civitati maximae essent perniciei, et pristina erga deos et parentes reverentia ex animis evulsa, novis diis inductis, mores juvenum ita depravarent, ut ad summam nequitiam adducti saepius controversiis domesticis implicarentur ac nova sophistarum institutione ac doctrina commoti parentibus meliores sibi visi tantos spiritus sumerent, ut omnem in suos pietatem abjicerent. Nonne poeta v. 844 talia strictim designat, cum Strepsiadem a filio male mulcatum fingit et Phidippidem dicentem fas esse etiam matrem vapulare? Certe; etenim Xenophon quoque istud crimen, quod haec parentium male tractandorum ratio e Socratis disciplina orta sit, propulsat, negans Socratem docuisse patrem a filio, ac ne insania quidem captum verberibus percuti licere; docuisse, *ὡς τὸν ἀμαθέστερον ὑπὸ τοῦ σοφωτέρου νόμιμον εἴη δεδέσθαι* (Xen. Mem. I, 2, 50).

Quaecunque de vanis talium rerum studiis dixi, non in Socratem, sed in sophistas quadrant. Socrates enim semper in vitae luce atque hominum celebritate versabatur neque ullum diem praetermittebat, quin discipulos ad pietatem erga deos parentesque, ad justitiam, temperantiam, aliasque quae ad vitae felicitatem pertinerent res impelleret. Socratem ergo juventutem corrupisse atque effecisse, ut leges a pa-

---

[10]) Gorg. 447. C.

tribus datas sperneret, (*τῶν καθεστώτων νόμων ὑπερφρονεῖν*, 1400, Mem. I, 2, 9) nego atque pernego.

Jam illud quartum crimen videamus, utrum jure sit in Socratem illatum, necne. Poeta Socratem institutionis suae mercedem avide a discipulis exegisse dicit et alias nonnullas philosophi notas adjicit, quae aviditatis rel illiberalitatis speciem praebeant (98, 179, 245, 497, 1131). Verum quidem e plurimorum antiquitatis scriptorum testimoniis compertum habemus philosophum consuetudinis suae[11]) pecuniam non exegisse, ex quo elucet his quoque locis illum cum sophistis permisceri. Quod confirmant Xenophon (Mem. I, 2, 5; 2, 60; 6, 11, 13), Plato, (Apol. 31, C. Euthyphr. 3, D.) Diogenes Laertius (II, 20, 27). Nam cum Graeci virtutem doceri non posse existimarent, ut ait Theognis (429):

Φῦσαι καὶ θρέψαι ῥᾷον βροτόν, ἢ φρένας ἐσθλάς
ἐνθέμεν· οὐδείς πω τοῦτό γ' ἐπεφράσατο,
ᾧ τις σώφρον' ἔθηκε τὸν ἄφρονα, κἀκ κακοῦ ἐσθλόν,

pecunias institutione facere turpe duxerunt, qui quidem sapientiae amore adeo inflammati essent, ut saepius rem familiarem prae discendi ardore negligerent. Protagoras autem primus a discipulis operae pretium postulavit, quem Plato (Men. 91, D.) grandiores pecunias corrasisse narrat quam Phidiam et alios decem artifices. Etenim cum Athenienses opibus abundarent, magnas pecunias eis solvere voluerunt, qui se ad rei publicae principatum obtinendum idoneos redderent, ideoque evenit, ut Hippias, Gorgias, Prodicus, ceteris rebus sophistarum praestantissimus, ingentes sibi divitias compararent, (Xen. Symp. I, 5; Plat. Euthyd. 304, C; Plinius H. N., XXXIII, 24, 83[12]) quibus

---

[11]) Neque Plato neque Xenophon de discipulis Socratis loquuntur, sed eos, qui illius disciplina utebantur, *συνόντας, συνδιατρίβοντας, συνουσιαστάς, ἑταίρους, ὁμιλητάς, φίλους, γνωρίμους, ἐπιτηδείους τοῦ Σωκράτους* appellant (cf. Breitenbach. ad Mem. I, 2, 3.)

[12]) Plinius eo loco affert: Auream statuam Gorgias Leontinus Delphis in templo posuit sibi; tantus erat docendae artis oratoriae quaestus.

rebus commotus Plato sophistas divitiorum juvenum aucupes et venatores et virtutis caupones appellat. (Soph. 231, D; Protag. 313, D.)

Ad illud avaritiae crimen pertinere mihi videtur vel adjungere licet, quod Aristophanes Socratem pallium furatum esse dicit. Talia autem opprobria, si quid in me est judicii, facere non possum, quin malitiose in philosophum nostrum illata esse censeam. Neque enim, quamvis etiam illud Eupolideum:

δεξάμεμος δὲ Σωκράτης τὴν ἐπιδέξἰ (ἐκπιών)
Στησιχόρου πρὸς τὴν λύραν οἰνοχόην ἔκλεψεν,

idem Socrati probro det, Socratem furem esse putaverimus. Sed quoniam a comico utroque istud probrum in eum jactatur, propriam quandam rem cavillationi isti subjectam esse crediderimus, quam ut explicemus, quemadmodum acciderit, Suevernium et Fritzschium sequamur, qui putant eam comicorum consensionem ortam esse e sermone quodam hominum in urbe Athenis diu multumque agitato. (Süvern, p. 17; Fritzsche, qu. Ar. 221.) Facile enim fieri potuit, ut Socrates cum saepius in cogitationibus defixus subsisteret et, quid agerent manus, negligeret, vestem alienam inscius atque imprudens arriperet, aut vilissimam suam cum pretiosa alterius commutaret, eaque res postea fama mirifice aucta in omnium Atheniensium ora abiret. At si cum Hermanno pro *ϑοἰμάτιον* legendum est *ϑυμάτιον* (pars carnis victimae), furtum illud carnis in aris relictae nulla alia re factum esse putandum est nisi fame aut inopia victus. De ea re dicit Thierschius (Comment. class. phil. Acad. Monac. 1835, p. 654): Nam surripere cibi aliquid in aris relicti etsi non honestum, at tamen esurienti condonatum erat.

Quae cum ita sint, factum est, ut Aristophanes una eademque opera et sophistas corriperet et Socratem exagitaret, non quo hunc illis parem haberet, sed quod eum alio nomine carpi posse intellegeret (Stallbaum ad Plat. Apol. 19 C.). Sed omnia in Socratem conjecta crimina iterum atque iterum reputantibus Aristophanes inique in illum atque iniquius in

prioribus Nubibus fecisse videtur, quod ei notas ab ipsius ingenio alienissimas affinxerit; verum dubium non est, quin, dummodo Socratem, in quibus rebus aut factis revera objurgandus erat, dicacitatis aculeis perstrinxisset, summopere laudandus esset; nunc, si verum quaesiverimus, eum aspere castigabimus ac pergraviter reprehendemus. In eo quoque consentiemus, quod Xenophon et Plato de praeceptore dilectissimo afferunt, (Mem. I, 1, 11; 2, 1; IV, 8, 10, 11; Phaed. fin.) nunquam Socrate meliorem justioremque fuisse virum. Verum haec quidem hactenus.

Jam vero tempus est ad alteram commentationis partem propius accedere et exquirere, qui loci in superstite Nubium comoedia e priore earundem Nubium recensione, quae in attico theatro commissa erat, adhuc servati sint.

De hac quaestione multi jam iique doctissimi viri alii aliter disseruerunt: quae quidem cum ipsa multum delectationis praeberet, criticorum simul studia tam vehementer excitavit, ut e doctorum virorum inter se dissensionibus ac discidiis tandem sententiarum consensio et conspiratio evaderet omnesque in eadem castra convenirent, qua in re Franciscus Volcmarus Fritzschius, unus omnium doctissimus, viam monstravit, praeivit, patefecit, munivit; quo factum est, ut nemo jam, nisi insipiens, dubitet, quin Nubium fabula, qualem nos habemus, ab illa, quae in attico theatro commissa est, aliquantum differat. Ejus rei testis quoque est auctor sextae hypothesis, cum dicit: *Τοῦτο ταὐτόν ἐστι τῷ προτέρῳ. διεσκεύασται δὲ ἐπὶ μέρους, ὡς ἂν δὴ ἀναδιδάξαι μὲν αὐτὸ τοῦ ποιητοῦ προθυμηθέντος, οὐκέτι δὲ τοῦτο δι' ἣν ποτε αἰτίαν ποιήσαντος. καθόλου μὲν οὖν σχεδὸν παρὰ πᾶν μέρος γεγενημένη διόρθωσις. τὰ μὲν γὰρ περιῄρηται, τὰ δὲ παραπέπλεκται καὶ ἐν τῇ τάξει καὶ ἐν τῇ τῶν προσώπων διαλλαγῇ μετεσχημάτισται. ἃ δὲ ὁλοσχερῶς διεσκεύασται, τοιαῦτα ὄντα τετύχηκεν. αὐτίκα ἡ παράβασις τοῦ χοροῦ ἤμειπται καὶ ὅπου ὁ δίκαιος λόγος πρὸς τὸν ἄδικον λαλεῖ, καὶ τὸ τελευταῖον, ὅπου καίεται ἡ διατριβὴ Σωκράτους.*

His enim verbis, quae simpliciter dicta nequaquam a veritate desciscere mihi videntur, grammaticus ille presse refert, prioribus Nubibus argumentum fere idem fuisse atque secundis, et poetam priores Nubes ita retractasse et correxisse, ut correctionem (*διόρθωσιν*) quidem singulorum locorum, quae per totam comoediam diffusa aliquot versibus vel mutatis vel additis vel omissis et personarum ordine commutato conspiciatur, fecerit, sed gravibus scaenarum immutationibus (*διασκευαῖς*) non usus sit nisi tribus locis, et in parabasi et in amborum Sermorum certamine et in fine fabulae. Ex iisdem verbis quoque apparet Aristophanem aliquamdiu fabulae de integro docendae consilium secum agitasse, sed postea aliqua de causa abjecisse. Considerantibus, quaecunque sextae hypothesis auctor attulit, nobis nulla causa est, cur non ei fidem habeamus. Etenim jam supra demonstravimus, quamvis Nubes anno 423 actae sint, priorem parabasis partem non ante annum 420 scriptam esse posse. De epirrhemate atque antepirrhemate ambigitur, utrum primae an alteri recensioni adscribenda sint. Primo statim adspectu credas extremam istam parabasis partem (575—594) non in priore Nubium editione fuisse, sed paulo post primas Nubes vivo etiamtum Cleone additam esse; cui sententiae licet assensi sint clarissimi viri, tamen facere non possum, quin repugnem. Omitto, quod non verisimile est interjectos tres annos esse inter parabasis initium ejusque finem, nisi forte epirrhemate perfecto poetam aliquantum temporis a perficienda fabula destitisse existimas aut in corrigendis leniter et perpoliendis paucis versibus, quos infra indagaturi sumus, et duabus tribusve scaenis mutandis triennium consumpsisse. Num vobis poeta, qua erat ingenii celeritate atque exercitatione, tantum temporis in eo opere haesisse videtur? Cave igitur, ne scholiastae (Aldinae editionis posterioris ad versum 592) nimiam fidem habeas, qui affert: *δῆλον οὖν ὅτι κατὰ πολλοὺς τοὺς χρόνους διεσκεύασε τὸ δρᾶμα. καὶ ταῦτα μὲν οὐ πολλῷ ὕστερον. ἐν οἷς δὲ Εὐπόλιδος μέμνηται καὶ τῶν εἰς Ὑπέρβολον κωμῳδιῶν, πολλῷ.* Ex eodem fonte iste error manavit, atque quo ortum est

illud, quod secundas Nubes Aminia archonte (a. 422) iterum actas aut editas esse dicunt (cf. supra p. 4); scholiasta enim Hyperbolum eum dicit, de quo in parabasi minore mentio fit, non Hyperbolum hieromnemonem v. 623. Neque tamen, etsi hoc epirrhema secundis Nubibus abjudicare non dubito, propterea quod non uno fere spiritu de vivo Cleone et de mortuo loqui fas est, de Cleonis hic expeditione Pylia agi persuaderi mihi non potest. Non enim Aristophanis moribus convenit (v. 546) res semel (in Equitibus) superiore anno exagitatas iterum repetere salibusque perstringere. Accedit eo, quod res in Pylo exspectatione prosperius successerant et amplius anno Athenis percrebuerant, ut Aristophanes prodigia (581) rem infelicem eventum habituram praedixisse vix dicere possit. Atque scholiastae quidem, cum ante Pyliam expeditionem ista prodigia missa esse (lunam defecisse, solem non esse visum, 582, 585) contendere dicantur, tamen eos hic magis ad verborum quam temporum interpretationem spectasse apparet, quare terrae motum solisque defectionem, quae mense Hecatombaeone anni 424 (a. d. XII. Cal. Apr.) fuerunt (Thuc. IV, 52), cum Cleo jampridem Sphacteria domum revertisset, hoc loco significari putaverim. Certe quidem poeta non res in Macedonia gerendas (a. 422) in animo habet, sed summam quandam rerum ad Cleonem a. 424 delatam, de quibus, quod fortasse nullius momenti fuerunt, nihil compertum habemus. Poeta igitur dicit, Cleonem diis bene juvantibus, non sua virtute ex Spartiatis victoriam reportasse; tamen poetam in Equitibus (a. 424) etiam atque etiam dissuasisse, ne imperio ad Cleonem iterum delato fortunam periclitarentur: nihilo minus de integro populum male sibi consuluisse — quod ne in proverbii consuetudinem veniret, metuere sese — veruntamen, ut id quoque (*καὶ τοῦτο*, 590) patriae prodesset, jam tempus esse impedire, si Cleonem peculatus accusarent, ne populiscitum noceret. Sed qui fit, ut poeta Cleonem peculatus reum fieri velit? Cleo inde ab anno 426 publicis reditibus praefectus erat, ut peculatum facere facile posset (Curtius, hist. Gr. II,

396). Quid? nonne istud imperium patriam pessumdaturum esse conjicere licet poetam censuisse? Quod munus cum maximam ad omnes Atheniensium res gerendas exerceret vim auctoritatemque (cf. Curtium, ibid. 188), haud scio an v. 587 a poeta intellegatur. Accedit quod Sphacteria expugnata Lacedaemoniorum legati Athenas de pace mitterentur, quibus, ne impetrarent, Cleo restitit, Aristophanes autem, quo erat pacis amore, omni ratione succurrisse verisimile est.

Epirrhema igitur, quandoquidem primis Nubibus adscribendum censui, fieri non potest, quin antepirrhema quoque trahat necesse esse existimem. Etenim licet pauca inveniamus, quibus poeta rerum publicarum, quae eo tempore fuissent, rationem habuerit, nihil quicquam tamen legimus, quo haec sententia convelli possit. Omitto fastorum turbas, quas cum cyclo a Metone a. 432 introducto cohaerere Boeckhius confirmat (Gesch. der Mondcyclen), quae propter belli Peloponnesiaci tempestates demum anno Pacis (421) remotae esse dicuntur: quam rem in clarissima luce collocare cum difficillimum sit, ad illud transeo, quod poeta v. 609 litteras a Cleone post victoriam ad Sphacteriam reportatam ad Athenienses datas risui exposuisse videtur, in quarum litterarum principio scripta erant: *Κλέων . . . . Ἀθηναίων τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ χαίρειν* (Schol. Plut. 322); quamobrem jam ab Eupolide derisus erat his verbis: *Πρῶτος γὰρ ἡμᾶς, ὦ Κλέων, χαίρειν προσεῖπας, πολλὰ λυπῶν τὴν πόλιν.* Quidni Lunam illo versu idem atque Eupolidem cavillari censeamus? Quod si ita est, hunc locum eo magis primis Nubibus[13]) assignare debebimus, quo absurdius a poeta factum fuisset, si in mortuum dicacitatis aculeis conversis sales obsoletos tanquam recoxisset.

Quod primarum Nubium parabasis minoris fuerit argumentum, perquam difficile est dictu, praesertim cum poetae suorum temporum atque recentissimarum rerum fabulae ordine

---

[13]) Eadem de causa versus 188 et propter novitatis gratiam ad N. I. mihi videtur pertinere.

paene interrupto rationem habere consuevissent; id satis mihi constare videtur, cum secundarum metrum Eupolideum sit, primarum parabasin propter initii versus:

ἀλλ' ἴθι χαίρων τῆς ἀνδρείας
οὕνεκα ταύτης

anapaesticis tetrametris, ut est consuetudo parabasium, compositam fuisse (cf. Schol. 520 „*οὐ τοῦ αὐτοῦ μέτρου τῇ ἐν ταῖς Νεφέλαις πρώταις*).

De altercatione utriusque Sermonis (889—1104) et de incendio domus Socraticae (1471—1510) quaerenti mihi dubium non est neque cuiquam erit, quin jure optimo ad secundas Nubes referantur. Quid in primis illorum locum obtinuisse videatur, jam explanare vel, cum pauculae tantum comoediae prioris reliquiae ad hanc aetatem pervenerint, potius conjicere conabor. Ac primum quidem Aristophanem in prioribus Nubibus multo fusius in Socratis discipulos invectum esse arbitror, ita tamen ut Socratem deperditorum eorum morum auctorem fingat et morum depravationem ex novicia ipsius institutione ac disciplina manavisse ostendat. Sic mihi in primis Chaerephon, fortassis etiam alii Socratici in varias reprehensiones incurrisse eorumque vitia populi ludibrio subjecta esse videntur. Quam sententiam ut probemus, adducimur illis Vesparum versibus (1037—1043), quibus poeta de injuria Nubibus anno superiore repudiatis sibi illata cum populo gravissime conqueritur. Etenim ibi etiam juvenes inducuntur, quippe qui tanta improbitate emineant, ut patres avosque suffocent innocentesque cives fallacibus illatis litibus de fortunis omnibus deturbent. Porro cum in dramatis personis legatur sub finem Chaerephontis nomen neque tamen iste verba faciat (nisi forte v. 1505 „*ἐγὼ δὲ κακοδαίμων γε κατακαυθήσομαι*“, quae quidem verba, cum posteriorum Nubium sint, in nonnullis jam codicibus alteri discipulo tribuuntur), in prioribus majores partes egisse videtur, praesertim cum in superstite adhuc fabula interdum ejus mentio fiat (104, 144—155, 156—164, 503, 831, 1465). Inde dilucide cognoscitur omnes eos locos, in

quibus Chaerephontis nomen reperitur, priori Nubium editioni adscribendos esse. Deinde nec minus verisimile Euripidi locum datum fuisse mihi videtur, quod ex fragmento apud Diogenem Laërtium (II, 5, 18) invento colligere licet, ubi discipulus Strepsiadi Socratis sapientiam discituro Euripidem in ejus officina tragoediis componendis occupatum monstrat; verba sunt haec:

Εὐριπίδης δ' ὁ τὰς τραγῳδίας ποιῶν
τὰς περιλαλούσας οὗτός ἐστι, τὰς σοφάς,
τὰς σωκρατογόμφους (Fritzsche, qu. Ar. 158).

Physicorum etiam studium inane, de quo supra dixi, a poeta Socrati opprobrio datum, melius in Euripidem cadit quam in Socratem.

Accedit, quod nonnulli poetae versus vel grammaticorum verba inveniuntur, quibus, qualis fuerit institutionis Socraticae ratio, a poeta comice descripta planius illustretur. Primum ipse poeta v. 537—539, cur sapientium laude dignam retractatam fabulam judicet, exponit idque eo manifestat, quod nullo phallo praeligato incedat. Deinceps ratio verborum scholiastae ad v. 734 habenda est, qui dicit: *τὸ πέος· δεῖ γὰρ αὐτὸν καθέζεσθαι ἔχοντα τὸ αἰδοῖον καὶ μιμεῖσθαι τὸν δερμύλλοντα ἑαυτόν.* Strepsiades enim a Socrate fraudulentum quendam dolum, quo aere alieno liberetur, jussus comminisci reverso invenitur penem in manibus habens. Postremo reperiuntur apud Photium (pag. 428, 27) et apud Suidam (s. v. *πηνίον*) haec verba: *κείσεσθον ὥσπερ πηνίω κινουμένω* (Suidas *βινουμένω* legit) ex Aristophanis Nubibus sumpta, quae significant: jacebitis sicuti duo culices, qui coeunt, adjicitque Photius: *σκώπτει γὰρ τοὺς περὶ Χαιρεφῶντα* (i. e. Socraticos).

Quae antiquitatis testimonia si una comprehensione complexus eris, quoniam ad priores Nubes spectare traduntur, in istis cum Chaerephonti, tum vero Socrati quoque facile reperies objectum esse foedum puerorum amorem. Quod crimen, quo vix ullum hodie atrocius putatur, etsi illis temporibus adeo omni acerbitate atque injuria carebat, ut apud

Lucianum (vitarum auctio, 15. 555[14]) Socrates gloriaretur: *παιδεραστής εἰμι καὶ σοφὸς τὰ ἐρωτικά*: tamen poeta aliquanto acerbius in Socratem invectus mihi esse videtur, quippe cum ejus discipuli, ut Alcibiades, ut Chaerephon (unde ejus pallor, 103) ab istorum flagitiorum suspicione haud sane abhorrerent eandemque foedam artem ab illo didicisse dicerentur. Porro in fabula sua Aristophanem id egisse, ut discipulos apud Socratem nihil aliud discere doceret nisi turpissimis flagitiis atque obscoenissimis voluptatibus pollutionibusque tempus fallere putaverim. Ejusmodi artes, ut ita dicam, Strepsiades in actis Nubibus tractasse talibusque Phidippides, quem in superstitibus uterque Sermo edocet, a Socrate imbutus esse videtur.

De extrema fabula respexerim ad Photium (pag. 318, 11) ex Nubibus primis afferentem:

Ἐς τὴν Πάρνηθ' ὀργισθεῖσαι φροῦδαι κατὰ τὸν Λυκαβηττόν,

ideoque Nubes iratas in Atticae montes, unde v. 323 venerant, abisse conjecerim — quare dubitandum non est, quin iste versus (323) ad priores Nubes pertineat — ceteroqui Strepsiadem domo Socratis non inflammata ad meliorem frugem se recepisse. Facere igitur non possum, quin cum Buechlero, qui illis verbis „*κείσεσθον ὥσπερ πηνίω κινουμένω*" significari vult, Socratem Chaerephontemque in exitu comoediae mulcatos esse fustibus a Strepsiade et Xanthia servo, consentiam.

Jam cum veterum scriptorum testimonia protulerim, quae ansam quandam praebeant ad cognoscendum, utrum verba ab iis designata e primis an secundis Nubibus sumpta sint, restat, ut trium scriptorum verbis utar, quibus ad Nubes easque priores spectasse eos confirmem. Primus Plato in Apologia (19 B. C.) Socratem non modo, quod rebus

---

14) cf. etiam Lucian., de domo, 4, 192; ver. hist. II, 19, 166; Conv. 39, 445; Aelian., var. hist. 4, 21; Diog. Laert. 2, 5; Plutarch., de educ. puer. 15; Schol. Aristoph. ad Nubes 186.

subterraneis atque caelestibus operam navaret, accusatum esse narrat, — quod crimen cum illo ab Aristophane in prima Nubium recensione dato omnino concinit — sed etiam, quod juventutem perderet deosque patrios aspernaretur — quod quidem crimen tantum abest, ut in prima editione commemoretur, ut maxime in secunda demum, cum duo isti sermones de erudiendo Phidippide inter se decertarent, Socrati objiciatur. Quam scaenam cum e sexto hypothesis argumento cognitum habeamus, in retractata demum additam esse neque Plato alterius criminis ab Aristophane etiam dati nescio quo modo ullam faciat mentionem, proxime ad verum accedere mihi videor, si ea verba „*ἀεροβατῶ καὶ περιφρονῶ τὸν ἥλιον*, 188“ primae editioni tribuero; et cum priores Nubes Socratem ridiculum, ineptum, arrogantem ludimagistrum finxissent, posteriores scholae imperio Sermoni Injusto tradito ridendas philosophi notas plane tollere vellent, Platonis verba (Symp. 221 B.) „*βρενθυόμενος καὶ τὠφθαλμὼ παραβάλλων*“ ad primas tantum Nubes (v. 362) respexisse verisimile est. Parvi enim interest Platonis Symposium mortuo demum Aristophane alterisque Nubibus jam editis scriptum esse; id certo constat futurum fuisse, si eadem crimina ab Aristophane praeceptori dilectissimo data novisset atque a Meleto Anytoque Plato, ut in Symposio Aristophanem acerbius tractaret, in Apologia, quae post Convivium scripta est (cf. Stallbaum ad Apol. XLIII.) ista Aristophanis crimina Socrati objecta commemoraret atque refutaret; quarum rerum tantum abest, ut quicquam inveniatur, ut Aristophanes cum Socrate in gratiam redisse videatur.

Transeamus vero ad alterum antiquitatis scriptorem, Xenophontem. In ejus Symposio legitur (VI, 8): *ταῦτα μέν, ἔφη, ἔα· ἀλλ᾽ εἰπέ μοι, πόσους ψύλλης πόδας ἐμοῦ ἀπέχεις* (ex conj. Jacobsii et Lobeckii); *ταῦτα γάρ σε φασὶ γεωμετρεῖν.* Nemo forte, nisi caecus, hic verbis subtilem de pulicum saltibus (v. 145) quaestionem respici non videbit, quibuscum conferre licet verba Oeconomici (XI, 3): *Σωκράτης καὶ ταῦτα ἀνήρ, ὃς ἀδολεσχεῖν τε δοκῶ καὶ ἀερομετρεῖν*, quae

ad eundem locum (144—152) referenda sunt. Quodsi Boeckhium sequi placuerit, qui Xenophontem Convivium suum vivo Aristophane confecisse conjicit, primas tantum Nubes, secundis post mortem poetae editis, in animo habuisse eum necesse est. (Fritzsche, IV, 10.)

Reliquum est tertium antiquitatis testimonium, quod in scholio Parisino legitur (cf. etiam Scholia Graeca ad Aristophanem, ed. Dübnerian. Paris 1855, ad v. 1417); ibi enim legitur proverbium illud: „δὶς παῖδες οἱ γέροντες“ ab Aristophane v. 1417 (*Νεφέλαις ά*) usurpatum esse. Quidni iste versus cum primis Nubibus communicandus sit? Scholiasta enim licet neque primas neque secundas Nubes viderit, quidni rem antiquitus traditam cum fide propagaverit? Non est, quod dubitari possit, immo cum versus 1417 sine ulla dubitatione primae editioni assignandus sit, illud efficitur, ut ejus scaenae summa jam in primis Nubibus exstiterit et leviter tantum correcta in secundas transierit. (1321—1452.) Qui quidem versus, uno tenore scripti artissimeque inter se cohaerentes, Strepsiadem patrem verberibus caesum a filio in scaenam producunt, ubi cum Nubibus de corruptis puerorum verberari parentes licere prae se ferentium moribus expostulat. Quis non hoc loco Vesparum versuum (1037 seqq.) meminerit aliquotiens commemoratorum, in quibus de liberorum vita omnibus flagitiis dedita, de sublata in parentes pietate agitur! Atqui Vespae anno post Nubes doctae sunt: quis igitur hunc locum paucis modo verborum correctionibus exceptis ad primam Nubium recensionem pertinere neget?

In eo numero sunt, si Teuffelium sequi libet, versus 1376 et v. 1431, ubi pro *κἀπέτριβεν* in primis legere mavult *κἀπέθλιβε*, quod nonnulli codices habent, ratus fluxisse varietatem fortasse e duarum editionum diversitate, ita ut prioris fuerint *θλ*, posterioris *τρ*, quod ad sententiam magis aptum esse; tum in versu 1431 vestigium vocis „πέτευρον“, quam in prioribus legi testatur Pollux, ex *κἀπὶ πλέον* codicis Ravennatis invenisse sibi videtur.

Eodem modo huc referre licet versus 1196—1200, qui

ab Athenaeo, (IV, pag. 171 C.) quem Nubes priores evolvisse supra demonstravimus, citantur verbis his „ἐν προτέραις Νεφέλαις.“ Nam etiamsi isti versus in ambabus Nubium editionibus legantur, non consequitur hic scriptorem in errorem incidisse; potuit enim, ut ajunt Schweighaeuser et Fritzschius, cum ista scriberet Athenaeus, priores Nubes ante oculos habere nec vero simul recordari eosdem versus etiam ἐν δευτέραις Νεφέλαις conservatos esse. Quae si ita se habent neque Athenaeum errare probari potest, quoniam in tota scaena (1131 — 1213) et uno proximae scaenae versu (1222) paene non interrupte, sed continuo quodam tenore de formula ἕνη καὶ νέα jculariter agitur, nihil nos impedire poterit, praesertim cum duo versus isti (1148, 1149), qui in retractata fabula correcti debent esse Sermone Injusto jam introducto, scrupulum animo injicere non possint, sed prorsus evellant, quominus totam illam scaenam cum prioribus Nubibus communicemus. In posterioribus enim Sermo Injustus Phidippidem erudiendum susceperat.

Et quod majus est, quandoquidem, quod antea dixi, v. 1222 Pasias quoque, e creditoribus unus, vocem ἕνη καὶ νέα in ore habet, totam eam scaenam (1214 — 1302), qua Strepsiades utrumque creditorem, et Pasiam et Amyniam, jocose dimittit desperantes se suum unquam recuperaturos, in priore etiam recensione fuisse concluserim. Nec quoniam audacius quam dubitantius hanc conjecturam feci, primam quidem fabulae scaenam (1 — 125), propterea quod senex ibi inter creditores suos enumerat Pasiam et Amyniam (21, 31), primae editioni adjudicare dubito; etenim cum interrogationum responsionumque continuatio seriesque alia ex alia nexa et omnes inter sese aptae colligataeque videantur, facile in istam sententiam adducimur.

Priusquam vero graves scaenarum mutationes aggrediar, operae mihi est locum afferre, qui, si reputaveris, quid sibi voluerit poeta, prioribus Nubibus aptissime addicendus erit. Versu 311 — 313 de Dionysiis, quibus ipsis Nubes commissae sunt, loquitur Atheniensiumque pietatem ac religionem

praedicat, scilicet eo consilio usus, ut rei praesentis rationem habeat festumque diem laudibus celebret; qui versus cum aptissime cohaereant cum cantico chori (antistropha 299—313), etiam stropham (275—290) in iisdem laudibus versatam e primis Nubibus in secundas manavisse efficitur. Ambo chori in secunda recensione servari poterant, quod poeta non Lenaeis, in alicujus fortassis pagi theatro, sed proximi anni vernis Dionysiis Nubes retractatas iterum populo praebiturus erat, „videlicet ut ignominiam coram peregrinis acceptam praesentibus peregrinis aboleret.“

Venio nunc ad locum quendam (v. 411—435), in quo ambae conformationes tam male confusae perturbataeque sunt, ut colloquii perpetuitas plane sublata sit. Etenim cum Strepsiades, unde fulmen exoriatur, qui novi dei sint, perspexerit, Nubes grandiloquis verbis eum alloquuntur ac pollicentur, si assidue in rerum naturalium cognitionem percipiendam insisteret nec animo oculisque a proposito unquam aversis omnes labores, aerumnas, inopias libenter ferret, ipsum et in contionibus et in actionibus semper superiorem discessurum esse. Qua re audita laetari senex seque, quantum in se esset, promptissime promittere facturum; quin etiam in corpore suo cudi pati paratus est. Versu autem 423—426 de diis e natura receptis disputare pergit, quod colloquium v. 411 interruperat, et cum Strepsiades novos illos deos promptissimo animo agnoverit, Nubes quaerere ex illo, quid discere velit, permirum mihi videtur. Vilissima, inquit, res est: facite, ut omnibus Graecis decem stadiis eloquentia praestem. Quid? optatum illud impetrabitne a deabus Strepsiades? Immo ne vult quidem, quod daturae sunt; tantum enim abest, ut ad populum rogationes ferre easque valere velit, ut legibus contorquendis, quomodo e creditorum insidiis et vexationibus evasurus sit, discere cupiat. Ne hic quidem duas fabulae conformationes esse difficile est intellectu; nam transponendi sunt inter se 412—422 ac 423—426, ita ut versum 411 subsequantur 423-426, hos 412—422; versus 427—434 prioribus Nubibus abjudicandi sint. Nam sicuti

vitae degendae ratio a choro descripta (412—422), qua erat mendicitate atque duritia, parum ab egeni illius ludimagistri Socratis consuetudine vitae dissentit, quam in primis Nubibus undique invenire licebat, ita Oratore Injusto introducto fieri non potuit, quin Strepsiades hanc tam horridam vitam agere cogeretur longissime discrepantem ab illa, quam ab Injusto v. 1044—1054 ac v. 1071—1082 descriptam videmus. Quapropter versus 427—434 poetae placuit postea novos fabulae inserere, nescimus tamen nec conjici potest, utrum ipse aut fabulae editor nonnullos hic versus deleverit necne. Quid quod negari non potest, versus 113—118, quippe qui audientium animos ad futuram amborum Sermonum altercationem quasi praepararent et excitarent, secundae recensioni ad verbum assignandos esse.

Quae cum ita sint, si a levibus quibusdam verborum aut versuum correctionibus discesserimus,[15]) priorem fabulae partem usque ad parabasin minorem pariter atque exeuntem fabulam incendio officinae Socraticae excepto ad primas Nubes pertinere intelleximus: nunc locum mutationum correctionumque pleniorem aggredi opus est, in quo illustrando longior desideratur commoratio.

Ac reputanti mihi, unde potissimum ordiar, ab initio istarum scaenarum, quemadmodum inter se excipiant, rationem habere placet, et quoniam ad hunc usque locum comiter me secuti estis, ea, quae reliqua sunt, dum breviter expono, quaeso, benevolis animis accipite. Exordium igitur capiamus ab illa scaena, quae parabasin subsequitur, progrediamur ad eam, quae utriusque Sermonis altercationem praecedit (627—888), eaque perspecta, quae isti proxima est (1105—1130), huic disputationi finem imponamus. Etiam in hac scaenarum serie vestigiis quibusdam obscurioribus illis quidem, sed certis tamen ambas conformationes mire confusas esse facile est cognitu. Dum chorus in scaena parabasin decantat, Socrates discipulum senem intra parietes domus suae eru-

[15]) cf. etiam 1447—1451.

divit — fortasse Chaerephonte juvante, quod e v. 1467 ac 1147 colligi potest — sed laborem irritum fore ratus, diris vocibus foras se proripit, videlicet omni spe Strepsiadem sapere posse unquam abjecta, lecto cimicum pleno extrema omnia experturus. Jam lectum in usum venturum putares — minime hercle vero! — immo lectus seponitur et institutionis initium fit, (636 „ἄγε δή, τί βούλει πρῶτα νυνὶ μανθάνειν“;) quae quidem usque ad versum 693 uno tenore producitur. Mihi quidem propter vocem πρῶτα isti versus (636—693) in prioribus Nubibus alium locum obtinuisse videntur, et cum in iis Strepsiadem quasi tentaret, dignus si esset, qui in discipulorum numerum ascriberetur, hic locus haud scio an ad versum 477 usquam se applicaverit, versus vero 627—635 secundis Nubibus assignem. Strepsiades tunc, si quid in ipso sit judicii, cogitando demonstrare ideoque mente a rebus externis avocata caput velare jubetur (695). Veruntamen progrediente oratione duplicem recensionem agnoscendam esse luce clarius est, ut vix quisquam futurus sit, qui neget. Quod ut facilius intellegatis, nobiscum animo perlustrate stropham (v. 700—706), cum chorus Strepsiadem admonet, ut somnum a se propulset. Quid? infortunatus ille somnumne capiet a cimicibus graviter pressus? Minime vero, immo chorus ea de causa Strepsiadem, ne somno se opprimi patiatur, admonet, quod ejus languore et somni cupidine postea fit, ut Socratis institutio in irritum cadat (732). Versus qui sequuntur (707—730) artissime inter se cohaerent Socratem redeuntem Strepsiademque fingentes a cimicibus tam acerbe vexatum, ut cogitationibus furtum (729) confingere nequeat. Neque Socrates, cum iterum revertitur, Strepsiadem, cui ut νοῦν ἀποστερητικόν investiget, praescripsit, in cogitationibus defixum, sed obscoenissimis occupationibus deditum invenit (734), et cum antea a Socrate jussus esset philosophari, nescio quo pacto praeceptorem adhortatur, ut, qua de re meditetur, praescribat. Sic videmus, ut verbis Fritzschii utar, hoc loco bis easdem res eodem modo (quod maxime ad rem pertinet), sed ratione valde

diversa proponi; in altero loco Strepsiadem ad praescriptum, in altero libera optione philosophari; in altero cimicum rationem fieri, in altero nullam fieri. Haec poetae inconstantia unde nata sit, ut cognoscamus, ipse poeta universe hanc comoediam decoram, honestam, obscoenitatibus orbam esse significavit(534). Quare in superstitem Nubium fabulam e priore versus 731—739 fluxisse, versus autem 694—699, 707—730, 740—745, in quibus poeta de cimicum morsu lepidissime loquitur, in nova demum editione additi esse videntur. Chori versus (στροφὴ et ἀντιστροφή, 700—706, 806—813) ad priorem editionem pertinent. Hic quaerat quispiam, quoniam in extrema stropha (705) duo versus desunt, utrum isti librariorum culpa exciderint an a poeta ipso, cum retractandi opus aggrederetur, deleti sint. Mihi quidem Aristophanes istos versus, quod ad colloquii seriem minime apti essent neque accommodatam ad insequentem scaenam praeberent transitionem, ejecisse videtur, et is, qui princeps secundas Nubes edidit, non strophae finem e primis recepit, sed illa ipsa lacuna scaenam insequentem correctam quidem, sed non totam perfectam esse leviter demonstrasse sibi voluit.

Atque ego quidem ut hoc vel maxime concedam, hoc modo nondum omnes omnino difficultates remotas esse, tamen vereor, cum aliae de ista scaena sententiae parum probabilitatis, haec plurimum stabilitatis habeat, ne aliam interpretandi viam ingressus in majores errores laqueosve inducar. Iste enim locus omnium maxime iterum atque saepius sententiarum conformationibus repetitis languet et propter leporum scurrilium vim paene Aristophane indignus est.

Jam veniamus ad illas scaenas, quae amborum Oratorum certamen praecedunt itemque consequuntur. Nubes enim patrem, postquam nihil addiscere potest, ut filium adducat, cohortantur. Tota ista scaena usque ad versum 881 e prioribus Nubibus sumpta est, quod maxime e v. 869—872, in quibus lepide corbis pendulae (217) mentio fit, colliges. Hoc vero loco pauca praefari libet de choris altercationi praeponendis et proxime eam collocandis. In aliquot codicibus

post v. 888 invenitur *Χορός* (*Χοροῦ*), jamque chorum hoc loco deesse grammatici veteres animadverterant. Atque chorum, ut erat graeci theatri consuetudo ac mos, sicut hoc loco, dum ambo histriones, qui modo Socratis et Strepsiadis personas egerant, novos Oratorum habitus extra scaenam induunt et respirant, ita rursus altercatione habita, dum personas mutant, canticum canere necesse erat. Illud quidem jam G. Hermannus vidit, hoc canticum non librariorum culpa excidisse, sed a poeta nondum scriptum esse, ut qui secundas Nubes non plane absolverit. Quae cum ita sint, mirari debebimus, qui fiat, ut Socrates Strepsiadem sub ipsam Oratorum altercationem, qua, utri Phidippides se in disciplinam daret, quaereretur, interroget, quem filium docere velit, quoniam Injustus Sermo juvenem edocendum jampridem susceperat atque ut erudiret cum eo abierat. Quare dubium non est, quin versus 1105—1112, qui, propterea quod v. 1111 Socrates sese filium dexterum redditurum esse pollicetur sophistam, priori Nubium recensioni adjudicandi sunt, in illa alium locum occuparint et haud scio an versum 881 exceperint. Hanc enim scaenam institutionem a Socrate ipso administratam subsecutam esse perquam veri simile est. Versus autem 881—888 in eam sententiam scripti, ut audientium animos ad amborum Oratorum adventum praepararent, ad posteriores Nubes pertinent.

Reliquum est, ut de epirrhemate (1115—1130), quod vulgo dicitur, paucis disseram, quod propter similitudinem quandam, quae inter idem aliudque Avium antepirrhema (1101—1117) intercedit, eum quem habet locum obtinuisse mihi videtur. Utrobique lepide chorus poetam, si ipsi palmam tribuerint, spectatores magnis muneribus donaturum esse promittit, sin minus, se cujuscunque generis mala in eorum capita illaturum jocose minitatur. Dicet quis: quid? tu tam humane cum spectatoribus jocari potuisse poetam existimas? Ego vero maxime, si hoc epirrhema in Nubes priores referas; minime, si a poeta in secundis demum additum esse judices. Nec mirum est; etenim in prioribus

freto ei se ex competitoribus victoriam reportaturum esse, ludis et jocis uti prorsus licebat; contra in posterioribus, si oculos ad parabasin minorem, queribundam illam et plenam irarum, converteris, qua de injuria sibi illata gravissime cum spectatoribus expostulat, poetam mira ad jocandum alacritate fuisse vix credas. Quid multa? Jam vero sextae hypothesis auctori, quippe qui praeter tres illas fabulae partes poetam leviter tantum singulos quosdam versus vel verba correxisse aut perpolivisse memoriae prodat, non usquequaque fidem habendam esse intelleximus, hae tamen correctiones ita fere adhibitae sunt, ut ex tribus illis scaenis commutatis natae sint aut audientium animos ad amborum Sermonum altercationem, novam illam scaenam, advertant.

Haec habui de Nubium retractatione quae dicerem. Vos autem, lectores benevoli, rogo atque oro, ut veniam mihi detis et in hac commentatione judicanda frontem remittatis, si quando, ut qui tot tantisque tam variis laboribus distentus sim, ut vix libere respirare liceat, parum disposite ac distribute, quemadmodum una quaeque res sese habeat, propositum persecutus ero.

Addenda:

Hanc ego commentationem jam mense Septembri p. a. scriptam philosophorum ordini Rostochiensi exhibueram, cum Brentanonis liber, qui inscribitur „Untersuchungen über das griechische Drama, Erster Theil: Aristophanes; Frankfurt a./M. 1871“ in manus meas pervenit. Quem librum omnibus doctrinae praesidiis sustentatum ac munitum, praesertim cum vix ulla de quaestione Aristophanea exstet dissertatio, quam non pervolutaverit doctissimus ille vir ac subtilissimus ejusque rationem accurate habuerit, summa quadam delectatione cum perlegissem, illum novam eandemque a nullo adhuc exploratam viam ingressum esse intellexi, qua Nubium aliarumque antiquitatis fabularum retractationes, quomodo factae essent, interpretando explanaret. Atque ille quidem plura Graecorum Romanorumque litterarum monumenta eo tempore, cum Alexandrea doctrinae gloria orbata Byzantium humanitatis sedes ac domicilium fieret, retractata atque turbata esse ratus, criticis novum, in quo armis suis congredi et de Aristophane ceterisque scriptoribus critica ratione decertare liceret, patefecit campum. Ego quidem haec a Brentanone pronuntiata, cum aliquid probabilitatis atque tamen dubitationis aliquantum habeant, omnino in dubium vocare supersedens, in singulis vero rebus maximeque in Aristophanis Nubibus recensendis, etsi in hac commentatione persaepe nullius vel adjumento vel auctoritate per me ipse eadem invenisse mihi videor neque in nonnullis rebus mutata opinione ad ejus sententiam accedere dubito, facere non possum, quin cum illo interdum dissideam. Hanc sententiarum discrepantiam, unde orta sit, quibus causis fulciatur, hodie demonstrare jam tempus esse negans, propterea quod altera illius auctoris disputationum pars nondum edita est, utpote quae res ab eodem ad hoc tempus investigatas ab-

solutura sit, posthac, ubi primum est emissa, si occasio tulerit, ut φίλῃ ἔριδι ad persolvendam quaestionem a Brentanone propositam aliquid afferam, longiore argumentatione exponere ac comprobare studebo.

Scr. Rostochii, a. d. VI. Kal. Apr. MDCCCLXXII.